



Prot. N. 01889/2023-808/23/I

## DECRETUM

*PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Gerardo Antonazzo, Episcopo Sorano-Cassinensi-Aquinatensi-Pontiscurvi, occasione sollemnum in honorem Sancti Thomae de Aquino celebrationum quae a die XIV Iulii MMXXIII usque ad diem XVIII Iulii MMXXIV in tota Dioecesi peragentur, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Aquinatensem Concathedralem ecclesiam vel Sancti Thomae ecclesiam de Roccha Sicca, eiusdem Dioeceseos, in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilariis celebrationibus devote interfuerint, vel saltem coram Sancti Thomae exuviis per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis et Sancti Thomae de Aquino, Ecclesiae Doctoris.*

*Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si coram Sancti Thomae imagine iubilariis celebrationibus se spiritualiter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.*

*Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut dioecesanus paenitentiarius, cathedralis clerus, parochi et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.*

*Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.*

*Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XXVII mensis Iunii, anno Dominicae Incarnationis MMXXIII.*

*Maurus Card. Diacege  
Paenitentiarum Major*

*Christophorus Nydell  
Refectus*